

SECTIO III.

De Subjecto Domini.

SUMMARIA.

135. & seq. Domini subjectum est homo. 137. Non aliacreatura. 138. & seq. Etiam infans. 140. Et amens. 141. Non autem servus. 142. & seq. Nisi Dominus ulterò velit aliquid servo concedere. 144. & seq. Agitur de filiis familias, & describuntur varia peculii genera. 149. & seq. In peculio castrensi vel quasi-plenum obtinetur Dominium. 151. & seq. In adventitio spectat usufructus & administratio ad patrem. 153. & seq. Casus excepti ponuntur. 160. & seq. In profectio sola administratio filii familias conceditur. 162. & seq. Agitur de Clericis, & describuntur varia ipsorum bona. 166. In verè patrimonialibus sunt plenissimi Domini. 167. & seq. Sicut & in quasi-patrimonialibus. 169. & seq. Duae objectiones afferuntur, & refelluntur. 173. & seq. In verè Clericalibus habent Dominium quoad congruam sustentationem. 177. Imò etiam quoad superflua. 178. & seq. Notatur quadruplex status bonorum Ecclesiasticorum. 182. & seq. Probatur Dominium superfluum triplici ratione. 190. & seq. Formatur prima obiectio, & redditur pro illius dilutione multiplex responsio. 195. & seq. Altera obiectio de prohibitione acuum ultima voluntatis, & ejus solutio. 198.

& seq. Tertia obiectio ex intentione fundatorum, cum responsio congrua. 204. & seq. Clerici tenentur ex Jure Divino reditus superfluos erogare in causas pias. 207. & seq. Hac tamen obligatio non provenit ex justitia. 210. Indigitur breviter mensura congrua sustentationis. 211. Varietas Religiosorum. 212. & seq. Solemniter professi sunt incapaces Domini. 214. Non item simpliciter professi. 215. & seq. Intellegendo id de rebus temporalibus. 217. & seq. Sub quibus non comprehenduntur manuscripta. 220. & seq. Neque res unò usque consumptibiles. 223. & seq. Religiosi in communi habent verum Dominium. 227. Exceptis PP. Franciscanis & Capucinis. 228. & seq. Quidquid acquirit Religiosus in particulari, acquirit suo Monasterio. 231. & seq. Ampliatur & explicatur assertum. 236. & seq. Restrigitur, & limitatur. 241. & seq. Discutitur casus, quò Religiosus quidpiam donatur vel legatur sub ea conditione, ut ad ipsum non ad Monasterium perveniat. 246. & seq. Artingitur Dominium duorum in solidum, & explicatur status questionis. 250. & seq. Proponuntur fundamenta affirmantia. 256. & seq. Refutantur fundamenta negantia.

§. I.

Quisnam sit capax Domini?

135. Subjectum Domini est homo. Quantumvis enim tum DEUS ter Opt. Max. sit, absolutissimus & perfectissimus Dominus Viri & Necis, corporum & animarum, rerum & actionum nostrarum; tum etiam Angeli Dominium obtineant saltem quoad bona quaedam spiritalia: attamen Dominium illud, cum humanum effugiat commercium, nostræ dispectionis præ esse dignoscitur. Homo itaque in hærenti consideratione est subjectum Domini, utpote qui statim ab exordio mundi res creatæ quoad liberam dispositionem sunt subjectæ, Supremò Dominò sic ordinante Genes. 1. v. 26. ibi: faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram; & præsit piscibus maris & volatilibus caeli, & bestiis, universaque terræ, omni que reptili, quod movetur in terra; & paulò post v. 28. benedixitque illis DEUS, & ait: crescite, & multiplicamini, & replete terram, & subjicite eam, & dominamini piscibus maris, & volatilibus caeli, & universis animantibus, quæ moventur super terram. 137. Cæteræ creaturæ, rationis expertes, sunt etiam expertes & incapaces Domini: partim quia, ut dictum, sub sunt liberrimo hominis Dominio: partim quia facultas de re liberè disponendi competere nequit alii naturæ, quam rationali: quippe cum illa sola polleat

vi dispositivâ & judicativâ, quid quantumve suo commodo deserviat. Nec refert in homine, sitne parvulus & infans, vel adultus aut infante major: nam, ut Apostolus ad Galatas 4. v. 1. edisseruit, quando tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cum sit dominus omnium. Et licet infans nec voluntatem habeant, quidpiam acceptandi, nec potentiam, aliquid agendi vel disponendi validè: non tamen exinde desituntur Dominio, Republicâ tum voluntatem quam potentiam supplente, vel per seipsum, vel per tutores, curatores, actores &c. Haunold de J. & F. tract. 4. num. 280. Ininger de Dominio disp. 2. q. 1. art. un. q. 3. Braun de Domin. cap. 5. §. 1. n. 5. Nec refert II. sitne homo sanæ vel insanæ mentis: cum etiam amentes & furiosi non solum retineant Dominium, quod ante furorē & amentiam erat acquisitum, sed etiam Dominium de novo per ministerium curatorum aut provisionem Reipublicæ possint acquirere. Braun cit. l. n. 6. Refert autem III. sitne homo liber, an servus: Jure Romanò siquidem Dominium servus non competit; cum ipsemet sint alterius Dominio subjecti, & instar cæterarum rerum, animatarum & inanimatarum, suo fructificent domi-

domino, tam quoad operas, quam quoad acquisitionem per textus in §. in potestate 1. Inst. de his, qui sui vel alieni &c. §. item vobis 3. Instit. per quas personas cuique acquirit. l. acquiruntur. 10. 142 in pr. §. 1. ff. de A. R. D. Quia tamen hæc ipsa fervorum conditio pendet ex voluntate dominorum, potest aliquando servus habere dominium, si dominus voluerit, uti colligitur ex l. vix certis 53. ff. de Judio. l. siquis. 5. in pr. ff. de Manumission. ubi apponitur, ser-

vum habuisse nummos proprios, quibus libertatem redemit; idque in Lustania frequenter accidere, ut nempe servus ex gratuita pactione domini quidpiam de suis laboribus ac lucris possit retinere, testis est Molina de F. & F. tract. 2. disp. 38. n. 5. Casus alios, in quibus Dominium servis conceditur, proponunt & discutunt Molina cit. loc. Lessius de F. & F. lib. 2. à n. 15. Lugo de F. & F. tom. 1. disp. 3. sect. 3. per tot.

Utrum & quale Dominium habeant Filii familias?

144. Utrum Dominium filiorum familias exacte cognoscatur, prænotandum est. Res illas, quas filii familias à bonis paternis separatas habent, vocari peculium, quasi pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium. Textus in l. depositi §. 3. ff. de Peculio. 145. Prænotandum II. peculium distingui in militare & paganum. Militare vel est castrense, vel quasi-castrense. Ad peculium castrense spectat, quicquid intuitu & occasione militiæ sagate devenit ad filium familias, puta stipendia militaria, spolia hostibus erepta, munera propter virtutem bellicam oblata. Textus in l. castrense 11. ff. l. si in potestate 1.

fationem virtutis & operæ, impensæ in sago & toga. Dico II. Filii familias habent quidem Dominium in peculio adventitio, sed usufructus & administratio regulariter spectat ad patrem. Textus in d. §. igitur 1. Per quas person. cuique acquirit. d. l. cum oportet 6. in pr. Cod. de Bon. qua liber. Ratio est: quia ex una parte peculium adventitium non provenit ex re vel respectu patris; unde non videbatur æquum, ut evadat illius dominus; ex altera parte, cum pater ob personam filii familias multa sustineat incommoda, justum credebatur, ut comòdum aliquid ex illius re peculiari expeririatur.

146. Cod. de Castrensi Pecul. Ad peculium quasi-castrense pertinet, quicquid intuitu & occasione militiæ rogatæ à filio familias acquiritur; quorundam reductur reditus beneficiales & clericales l. Sacrosancta 34. Auth. Presbyteros & Diaconos l. cum lege 70. Cod. de Episcop. & Cleric. salaria publicorum Officialium Principis l. ult. in pr. Cod. de Inoff. testam. honoraria Advocatorum l. fori 4. l. cum Advocatio 8. l. Advocati 14. Cod. de Advocat. divers. Judicior. proventus Archiatrorum & Professorum d. l. ult. in sine pr. Cod. de Inoff. testam.

Dixi regulariter. Sunt enim casus excepti, in quibus filio familias penum Dominium in adventitio peculio conceditur. I. si quid habeat ex donatione Principis vel Augustæ l. cum multa 7. Cod. de Bon. qua lib. II. si 154 quid dissentiente patre consequatur ex successione vel quovis alio titulo l. ult. in pr. Cod. d. 1. III. si quid acquirit ex hereditate fororis aut fratris germani, cui succedit una cum patre Auth. item hereditas Cod. eod. Nov. 118. cap. 2. IV. si pater renunciet sponte usufructui, sibi à 156 Lege permisso l. cum oportet 6. §. 2. v. & si quid Cod. d. 1. V. si quæ bona deferantur libe-

147. Prænotandum III. peculium paganum ulterius discipitur in profectium & adventitium. Profectium appellatur, quod filii familias citra militiæ causam ex re patris, ejus intuitu, vel motivo sibi comparavit §. igitur 1. Instit. Per quas person. cuique acquirit. Adventitium est, quod filii familias extra militiam aliunde quam ex re patris aut illius motivo vel intuitu acquisivit d. §. igitur 1. l. cum oportet 6. in pr. l. ult. in princ. Cod. de Bon. qua lib. Et in dubio quidem, quando non constat, sitne aliquid filio vel intuitu & contemplatione patris, nec ne, præsumitur, magis ex consideratione filii quam patris relicto esse arg. ult. in fine. Cod. de Usufr. Laurebach ad tit. ff. de Pecul. §. 31. His prænotatis, 149. Dico I. Filii familias habent plenissimum Dominium in peculio castrensi, vel quasi. Textus sunt in pr. Instit. Quib. non est permiff. fac. testam. l. penult. §. 2. Cod. de Usufruct. l. cum oportet 6. in pr. Cod. de Bon. qua liber. Auth. Presbyteros Cod. de Episcop. & Cleric. tot. tit. ff. & Cod. de 150 Castrensi Pecul.

ris ex delicto matris Auth. idem est Cod. eod. Nov. 143. cap. 1. VI. si quidpiam ab ex- 158 transeis eâ lege filio familias relinquatur, usufructus ad patrem non perveniat. Nov. 117. cap. 1. in pr. Et hoc peculium, in quo plena proprietates reservat filio, dicitur adventitium irregulare vel extraordinarium; illud vero, in quo pertinet usufructus ad patrem, adventitium regulare vel ordinarium appellatur. Dico III. In peculio profectio filii familias Dominium non habet, sed nudam administrationem, eamque vel simplicem, vel liberam, prout voluerit pater, cui, quicquid filius ratione peculii profectii acquisit, acquiritur. Textus in §. igitur 1. Inst. Per quas person. cuique acquirit. pr. Inst. Quib. non est permiff. fac. testam. l. filius familias 93. ff. de R. J. Ratio est: 161 quia, quæ patris sunt, vel ex se, vel ex aliorum destinatione, nequeunt in Dominium cedere filiorum; &c. si quædam ex re patris acquirantur, dignum est, ut accedant illius patrimonio: quæ enim, inquit Imperator in cit. §. igitur, invidiosa est, quod ex patris occasione profectum est, hoc ad eum reverti?

An & quale Dominium habeant Clerici?

162 Clericorum particularium æque ac filiorum bona vocantur in Jure Canonico *pecunia*, ut indicat rubrica *de Pecunia Clericorum*. Dividuntur ab aliis aliter; à nobis autem distinguuntur in patrimonialia & Clericalia seu Ecclesiastica. Patrimonialia vel sunt verè talia, vel quasi. *Verè talia* sunt, quæ Clericus titulò patrimoniali seu seculari, v. g. ex successione, donatione, venditione, non minus ac alia persona secularis, possidet.

164 *Quasi-talia* sunt, non solum quæ ex industria, cum Laicis communi, puta exercitio Professione vel Artium Liberalium, sed etiam ex industria & operatione Clericali, aljò tamen, quam solus beneficii titulò, consequitur, cuiusmodi censentur stipendia Missarum, reditus stolar, distributiones quotidianæ, & quæ Clericus ex sua paritate & moderato vivendi modo de beneficii obventionibus sibi rosiervat. Clericalia sunt, quæ Clericis obveniunt immediate & proximè ex titulò beneficii, qualia reputantur decimæ, fructus annui, reditus, in fixo, ut ajunt, consistentes; vocanturque hinc bona *prospectu Ecclesie acquisita* vel *Ecclesiastica*. Ad videndum modò, quale Dominium Clericis in memoratis bonis competat.

166 Dico I. In bonis verè patrimonialibus Clericis Dominium plenissimum competit. Videtur indubitata hodie sententia. Ratio est: quia, ex quo Clerici non amplius vivunt in communi, prout olim vixerunt ex dictis in *priori trall. de Person. Reb. & Jurib. Eccl. p. 1. cap. 2. n. 3.* nihil impedit hodie, quò minus in bonis patrimonialibus plenissimum obtineant Dominium, Jure Canonico satis luculenter illis suffragante in *cap. seriè ego 18. cap. Episcopi 19. cum seqq. XII. q. 1. cap. quoniam 2. ead. q. 3. cap. investigandum 1. de Pecul. Clericor. cap. quorundam 1. cap. quia nos 9. de Testament.*

167 Dico II. In bonis quasi-patrimonialibus Clerici quoque plenum Dominium habent. Videtur equidem & hæc nobis sententia dubiò carere; sed tamen ab uno vel altero vocatur in dubium. Ratio est: quia, quæ percipiuntur à Clericis ex redditibus stolar, vel distributionibus quotidianis, sunt stipendium & remuneratio virtutis & industrie Clericalis; siquæ transeunt in absolutum Dominium Clericorum *arg. cap. cum secundum 16. in pr. de 168 Præb. cap. un. de Cleric. non resident in 6.* Quæ verò percipiuntur ex parimonia, sunt reliquæ portionis, ad congruam sustentationem Clericorum pertinentis, & plenò jure jam comparatæ, juxta mox dicenda: sequuntur itaque naturam portionis congruæ, & patrimonio Clericorum incorporantur.

169 Nec dicas I. cum Navarro, distributiones quotidianas, cum desumantur ex beneficiis Ecclesiasticis, uti deducitur ex Concil. Trid. *sess. 21. de Reform. cap. 3.* juxta naturam bono-

rum beneficalium seu Clericalium esse regulanda. Contra siquidem est, quòd, licet originaliter desumantur ex beneficiis Ecclesiasticis; attamen formaliter & immediate non concedantur ob beneficium, sed presentiam ac laborem speciale: nam Canonici absque potest gaudere redditibus beneficii, si causa sit Jure probata, v. g. causa studiorum aut servitorum Episcopi, quin gaudeat distributionibus quotidianis *cap. de casero 7. de Clericis non resident. cap. licet vobis 32. de Præb.*

Nèque dicas II. cum Sarmiento & Lora, quos citat Card. de Lugo de *J. & F. diffin. 4. sess. 3. n. 35.* bona parimonia Clericorum esse propriè Clericalia; eaque propter non accenseri pleno Clericorum Dominio, sed in usus pios erogari debere, *arg. desumptò ex Concil. Trid. sess. 25. de Ref. cap. 1.* ubi prohibetur; ne consanguineidicentur ex redditibus Ecclesiasticis. Enim verò bona parimonia sunt quidem propriè Clericalia, spectatà origine, priusquam Clericorum sustentationi sunt deputata; at ubi Clericorum sustentationi sunt destinata, pleno ipsorum Dominio, veluti cum digna merces, annumerantur; nec debent ulterius in pios usus erogari: cum per deputationem in sustentationem Clericorum jam censentur in pios usus conversæ; nec quicquam reclamante Tridentinò, quòd ditionem consanguineorum solum ex redditibus Ecclesiasticis superfluis interdicit.

Dico III. Clerici sunt etiam Domini bonorum verè Clericalium, non tantum eorum, quæ congruè sustentationi deserviunt; sed etiam, quæ, deductà sustentatione, remanent tanquam superflua. Hæc conclusio quoad priorem partem est communissima, mihiq; certissima: cum & sacra pagina velut, ut DEL ministris detur suum stipendium & merces *Lucæ 10. v. 7. 1. Corinth. 9.* & Synodus Oecumenica Trident. variis in locis nominatim in *sess. 23. de Ref. cap. 1. & sess. 24. de Ref. cap. 12.* supponat, Clericorum reditus beneficalis, præstitis præstandis, facere suos. Idque etiam procedit de Clericis, qui aliunde sunt divites, ac bona parimonia obtinent: non enim sunt minus ab Ecclesia honorandi, quam pauperes, si Divinum servitium perinde ac ipsi fideliter impenderint; utpote cum suis stipendiis nec milites Christi, nec milites sæculi militare teneantur, uti prolixe demonstravit Gentium Doctor cit. *cap. 9. ad Corinth. 1. cui consonant textus in cap. ult. l. 1. q. 2. cap. cœnaritatem 45. XII. q. 2. in fin. cap. cum secundum 16. cap. extirpanda 30. in pr. de Præbend. Innocent. in cap. Episcopus 4. d. 1. n. 1. Panormitan. in Q. Q. disp. 9. 4. n. 13. & seq. Covarruv. de Testament. cap. 37. n. 1.* Et licet contradicerent videantur D. Hieronymus & D. Prosper in *cap. Clericos 6. cum 2. seqq. cit. l. 1. q. 2.* sunt tamen explicandi cum cit. Panormitan. n. ult. de statu antiquiori, quò necdum beneficia fuerunt

runt erecta, sed reditus ex communi massa non secundum dignitatem aut merita, sed indigentiam Clericis communiter viventibus distributi per *cap. dilectissimi 2. cap. quia cum 8. XII. q. 1.*

177 Quoad posteriorem partem antiqui & moderni DD. inter se differunt, dum illi plerumque Dominium superfluum Clericis negant; illi concedunt. Nomina utriusque placiti Defensorum, à pluribus jam citata, brevitate studiò non cito, sed, antequàm assertionem meam solidè commonstrem, præmittito quadruplicem statum bonorum Ecclesiasticorum. Primis enim temporibus tam Clericis quam Laicis omnia fuerunt communia, cor, anima, bona *Alor. 4. v. 37. cap. videres 16. XII. q. 1.* Deinde, multiplicatà fidelium gente, Laici recesserunt à bonorum communione, Clerici perstitierunt *cap. Clericus 5. cap. expedit 13. d. XII. q. 1.* Posthæc licuit Clericis, à vita communi bonorumque communione, quando volebant, recedere, suæque patrimonialia separatim possidere, bonis Ecclesiasticis pro cæteris tantum Clericis, qui manserunt in communione, reservatis *cap. certe ego 18. d. q. 1. cap. Clericos 6. l. 1. q. 2.*

181 Demum reditus Ecclesiastici sunt divisi in 4. partes, è quibus una Episcopo; altera Clericis, Ecclesie ministris; tertia fabricæ; quarta peregrinis & pauperibus est attributa *cap. vobis enim 23. cap. Vulverata 25. cum 5. seqq. XII. q. 2.* Latè & exactè Panormitan. in *Q. Q. disp. 9. 4. n. ult.* Hòc præmissò,

182 Probatur assertio I. Clericis in illo statu, quò ipsi assignata fuit certa portio, habuerunt illius portionis Dominium. Ergo adhuc habent. Ant. prob. Portio, quæ habetur titulò divisionis, habetur Jure Domini: est enim divisio titulus, ad pariendum Dominium aut usucapiendi conditionem non minus habilis quam emptio-venditio, vel permutatio per textus luculentos, & omni exceptione majores *§. ult. Inst. de Offic. Judic. l. si per errorem 17. ff. de Usurpar. & usucap. l. divisionem 1. & ibi Brunnem. n. 3. & seq. l. etiam si 2. Cod. Commun. Utriusque Judic.* Atqui portio, quam in illo statu habuerunt Clerici, habita fuit titulò divisionis, dum nempe res, antehæc Clericis & pauperibus communes, autoritate Ecclesiastica sunt divisæ. Ergo &c. Confirmatur. Pauperes & Ecclesie per eandem divisionem assignatæ sibi portionis Dominium acquisiverunt: quia nemo alius jus quoad illam portionem habebat. Ergo etiam Clerici portionis suæ Dominium sunt nacti: utpote cum ad eorum portionem nullus alius jus habuerit.

184 Respondebis forsitan ad hoc argumentum I. Clericos fuisse dominos assignatæ sibi portionis, sed illam tum temporis superfluum non fuisse; vel, si quid superfluum de congrua sustentatione, ad illud Dominium Clericale non fuisse protensum. Sed

185 Contra est: tum quia credibile non est, suam cuique Clerico portionem tam exactè commensuratam fuisse, ut præcisè sustentationem P. SCHMIEK JURISPR. CAN. CIV. TOM. II.

tionì necessaria correspondit: tum quia, quod noviter acquisitum erat Ecclesie, post illam divisionem portionum necessarium, rursus in 4. partes dividi debebat juxta differentiam decionem in *cap. cognovimus 29. XII. q. 2.* adeoque non tantum reditus necessarios sed etiam superfluos Clerici tum temporis ex titulo divisionis & Jure Domini sunt assecuti.

Respondebis II. Clericorum portionem post illam divisionem probabiliter consumam esse cum portione pauperum, utpote modernò sæculò non amplius exstante; per hoc tamen pauperibus non esse sublatum Dominium: eò quòd confusio non extinguat alterius Dominium, quòd habebat dominus portionis confusæ *§. si duorum 27. Inst. de R. D.* sicque consequentiam superioris argumenti non subsistere. Sed

Contra est: quia, si confusio portionum non ademit pauperibus suum Dominium, neque Clericis ademit: indèque Clerici manebunt in possessione, & Dominium suæ portionis retinebunt, & quidem separatim ac privativè, donec à pauperibus ostendatur, ipsorum portionem cum Clericali permixtam aut confusam esse: tamen enim portio pauperum non amplius extet (id quòd universaliter saltem asseverare non licet, dum multa noscomia, xenodochia, & similia personarum miserabilium habitacula, consurrexerunt, quibus non improbabiler illa portio pauperum accrevit) exinde tamen haud sequitur, quòd accesserit portioni Clericali, sed, cum ea res sit facti, clarè demonstrari debet.

Probatur II. Qui reditus Ecclesiasticos potest facere suos, sine restrictione vel distinctione inter necessarios & superfluos, consequitur illorum Dominium *arg. cap. un. de Cleric. non resident. in 6.* Sed Clerici reditus Ecclesiasticos, sine restrictione vel distinctione inter necessarios & superfluos, faciunt suos; prout non tantum erit ut per argumentum à sensu contrario ex Concil. Trident. *sess. 23. de Ref. cap. 1. & sess. 24. de Ref. cap. 12.* sed etiam vincitur ex Decretalibus in *cap. ult. de his, quæ sunt à majori parte Capit. ubi dicitur, quòd accedente consensu majoris partis de Capitulo, Canonici possint compelli, ut aliquam suorum redituum portionem ad fabricam Ecclesie Cathedralis restaurandam subministrant: quæ decisio non de redditibus necessariis, sed superfluis intelligi debet: utpote cum indecens foret, ut Canonici pro reparatione Templi necessaria sustentatione priventur. Ergo &c.*

Probatur III. Quæ Clericis obveniunt ob ministerium spirituale vel ex redditibus stolar, vel ex stipendiis Missarum, vel ex distributionibus quotidianis, eorum Clerici sunt domini, tamen nequaquam sint necessaria sustentationi congruæ, secundum dicta à num 167: quia nimirum obveniunt tanquam debita merces & remuneratio facti laboris. Ergo etiam, quæ Clericis obveniunt ex bonis Clericalibus, eorum Clerici sunt domini, tamen nulla-

nullatenus sint necessaria congrua sustentationi: quia pariter obveniunt tanquam debita merces & remuneratio sacri laboris & ingentis illius obligationis, quam subeunt quoad residentiam, animarum curam, & officia Divina.

190 Obijcies I. SS. Canonibus bona Clericalia compellunt patrimonio Christi, res DEI, tributa pauperum cap. *prædica* §. cap. *qui abstulerit* 6. cap. *quisquis* 19. XII. q. 2. cap. *cum secundum* 16. de *Præbend.* Concil. Trident. *sess. 25. de Reform.* cap. 1. Præterea Clericis administrationem duntaxat non etiam Dominium tribuunt cap. *ult.* XII. q. 1. cap. *precipimus* 3. XVI. q. 2. cap. *quod autem* 3. XXIII. q. 7. cap. *fraternitatem* 2. de *Donat.* Insuper Clerici vocantur fures, raptores, pauperum interfectores, si talia bona pauperibus non elargiantur cap. *qui Christi* 1. cap. *qui abstulerit* 6. XI. q. 2.

191 Resp. I. hæc & similia loca, ex SS. Canonibus excerpta, non tantum Clericis in singulari, sed etiam ipsismet Ecclesiis & Communitatibus Ecclesiasticis adferri, velut legenti perspicuum erit. Quemadmodum verò non obstant, quòd Ecclesiæ & Communitates Ecclesiasticæ Dominium universale habeant, in omnibus bonis, quomòdolibet acquisitis (uti concordanti ferè calamo scribunt Auctores contra Navarum, & in *præced. tract. de Person. Reb. & Jur. Eccles.* p. 2. cap. 4. n. 4. probatum est) tamen ejusmodi bona non ineptè vocantur res DEI, eorumque possessores administratores, & si pauperum obliviscantur, raptores &c. pariter ista & similia verificari poterunt de Clericis in singulari, tametsi bonorum Clericalium domini sine distinctione pronuntientur.

192 Resp. II. textus recitatus intelligi posse I. de ipsis Ecclesiæ bonis, quorum Dominium non ad Clericos singulares, sed Ecclesiam vel Ecclesiasticam communitatem spectare, constat ex tractatu nostro mox *cit. l. & cap. 2. n. 11.*

193 & seqq. II. de tempore, quod antecessit erectionem beneficiorum, ac divisionem bonorum communium: tunc enim Clerici tantum administratores erant bonorum communium, saltem quoad portionem, debitam pauperibus; & si pauperibus competentem portionem negarunt, raptores ac fures dicebantur.

194 III. de bonis superfluis quoad eorum sustentationem; quæ nequit fieri pro libitu Clericorum, sed, juxta *conclus. 4.* ad causas pias est dirigenda: ut proinde Dominium superfluum non sit liberum, sed restrictum ac limitatum ad dispositionem in causas pias cap. *quia tua* 8. XII. q. 1.

195 Obijcies II. Si Clerici bonorum superfluum haberent Dominium, valerent ipsorum dispositiones per actus ultimæ voluntatis: tum quia, quod conceditur viventibus, à portione mortis causâ concedendum videtur: tum quia Clerici & eorum hæredibus ab intestato injuriam faceret Ecclesia, illis dispositionem ultimam; istis successorem adimendâ. Sed Clericorum dispositiones per actus

ultimæ voluntatis non valent, uti dicitur & ostenditur in *tract. de Success. hæredit.* p. 1. cap. 1. Ergo &c.

Resp. negandò sequelam major. Nam in 196 *cit. tract. d. cap. enarrabo* personas non paucas, & in specie filios familias, quibus equidem Dominium suorum bonorum ac libera de illis facultas inter vivos disponendi competit, quin facultas testandi competat: quia scilicet Jus positivum Civile rationes sufficientes habuit, dispositionem testamentariam absque injuria memoratis personis interdicendi. Ergo etiam, licet Clerici, tanquam domini, disponere possint inter vivos de bonis superfluis, non tamen ex necessitate sequitur, quòd dispositionem possint facere per actus ultimæ voluntatis: quia nimirum Jus positivum Canonium, ex justis causis, in *cit. tract.* recensendis, dispositionem testamentariam, sine ipsorum & hæredum præjudicio, Clericis interdixit. Certè cum bona Clericalia pro-197 veniant immediatè ab Ecclesia, potuit Ecclesia in eorum distributione vel divisione possessoribus imponere certas condiciones & leges, secundum quas de bonis disponere liceat: hoc enim cuilibet domino concedimus, ut rebus suis, quarum est moderator & arbiter, valeat legem ponere vel conditionem.

Obijcies III. Non est credibile, quòd intentio fidelium, bona sua pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ piâ liberalitate offerentium, fuerit, ut Clerici superfluum Dominium consequantur: id enim Sacratissimus Imperator Justinianus, quem haud dubiè ceteri fundatores & dotatores bonorum Ecclesiasticorum sunt imitati, dilucidè significavit in *Nov. 3. cap. 3. in f. ibi: sciant autem DEO amabiles economi, & qui nunc, & per tempora futuri sunt: quia, si quid præter hæc egerint, & Divinis suppliciiis subjacebunt, & ex sua substantia indemnitate Sanctissime procurabunt Ecclesia.* Cùm ergo Clericis plus juris in bonis possessis non competat, quàm à fundatoribus aut dotatoribus fuerit concessum: consequens est, quòd Dominium superfluum non habeant.

Resp. intentionem fidelium, bona sua pro sustentatione Ministrorum Ecclesiæ consecrantium, hanc esse, ut illa transeant quidem in Dominium Ecclesiæ, sed fructus eorum Ecclesiasticarum personarum dispositioni taliter committantur, quantum de illis, qui spectant ad honestam sustentationem, disponant liberè; de residuis autem non aliter, quàm ad causas pias; sicuti fit in fructibus de bonis, ad ipsas Ecclesias aut Ecclesiastica Collegia destinatis. Unde Dominium in bona super-200 flua non repugnat intentioni fidelium: ut pote cum stare valeat Dominium unà cum obligatione, superflua distribuendi in causas pias; imò vel maximè videtur intentioni fidelium accedere, ut Clerici, qui membra sunt Reipublicæ, sicque cum ceteris fidelibus agere tenentur & contrahere, sint Domini relictum superfluum, ne contractus, cum ipsi

ipsis iniuri, frequentissimo nullitatis vel restitutionis periculo subjiciantur.

201 Nec contrarius est Sacratissimus Justinianus: præterquam enim quòd piensissimus hic Princeps, suorum Antecessorum vestigia, in *l. Sacrosancta* 34. *Cod. de Episc. & Cleric.* secutus, bona Clericalia generatim in censum peculii quasi-caltractans (quod, qui habet, Dominium habet) retulerit *Auth. Presbyteros* & 202 *l. cum lege* 50. *Cod. d. t.* non loquitur in *cit. Nov. 3. cap. 3.* de Clericis beneficiatis & beneficiorum redditibus, sed de economis seu administratoribus Ecclesiarum & reddituum Ecclesiasticorum, quibus utique Dominium in bonis Ecclesiæ, cujus administrationem suscipiunt, non competit. Indèque in *fin. cit. Nov.* iustè sancitur, ut, si aliter, quàm in usus pios erogaverint hujusmodi proventus, *Divinis suppliciiis subjaceant, & ex sua substantia indemnitate Sanctissime procurent Ecclesia.* Non tamen inficias iverim, ex *cit. Nov.* non malè deduci, quòd, cum redditus beneficiales ex bonis Ecclesiarum DEO consecratis, desumantur, ad usus religiosos impendi debeant, juxta tenorem conclusionis, mox statuendæ.

204 Dico IV. Clerici sunt obligati ex Jure Divino & Humano redditus superfluos erogare in usus pios. Hanc conclusionem tam certam esse, fatetur Eminentiss. noster Card. Sfondrati in *Nepotismo* §. 2. n. 1. ut probatione non indigeat: cum omnes Patres, omnes Canones, omnes Leges, Divinæ Humanæque, ac denique omnes Theologi hoc ipsum unò ore 205 profiteantur &c. Probatur nihilominus evidenter ex *cap. Pastor* 7. *l. q. 2. cap. pervenit* 13. *ead. q. 3. cap. quia tua* 8. in *fin. XII. q. 1. cap. Apostolicos* 13. *ead. q. 2. cap. quia juxta* 59. *cap. ult. XVI. q. 1. Concil. Trident. sess. 25. de Ref. cap. 1.* ubi clarissimè monstratur assertam obligationem, tanquam Legibus Divinis & Humanis commensurata. Ratio est: quia Jus Divinum ac Humanum veta, ne redditus Ecclesiastici dispendentur vel applicentur contra fidelium intentionem. Atque fidelium intentio fuit, ut redditus Ecclesiastici dispendentur vel applicentur in usus pios & religiosos, veluti concluditur ex *d. cap. Apostolicos* 13.

cap. indignè 21. *XII. q. 2. cap. Pontifices* 3. *ead. q. 3. cap. quia juxta* 59. *XVI. q. 1.* Ergo &c.

An autem hæc obligatio descendat ex virtute justitiæ, & Clericos cum onere restitutionis obstringat, ut supervacaneos proventus destinent ad causas pias? Singularis est questio, in qua laudatus Eminentiss. Card. in *Nepotiss. §. 4. per tot.* cum allegatione multorum Auctorum affirmativam solidè probat, & in praxi recipiendam patheticè monet. Sunt tamen alii, qui Clericos, notabilem partem ad usus profanos erogantes, non quidem à noxa mortali, sed ab onere restitutionis excusant. Ita Eminentiss. Card. de Lugo de *J. & J. tom. 1. disp. 4. sect. 2. n. 16.* Illustriss. noster Reding *Theolog. Scholast. tom. 12. q. 2. artic. 1. contr. v. 2. num. 4. & seqq.* Eruditissimi nostri Sant-Gallenens *Curs. Theol. tract. 5. sect. 1. q. 2. dub. 4.* Clariss. P. Paulus Mezger *Theol. Scholast. tract. 11. art. 2. n. 15.* ed quòd ejusmodi bona transferri in absolutum Dominium Clericorum, nullò proprietatis jure pauperibus aur aliis causis piis reservatò. Unde obligatio distribuendi in pauperes aut pias causas non oritur ex justitia, sed potius ex Religione: quia scilicet sunt bona DEI, ut dicitur Concil. *Trid. cit. sess. 25. cap. 1.* hoc est, DEO & Sanctis principaliter oblata, & minus principaliter Clericis, velut DEI Sanctorumque Ministris; quibus capropter incumbit, hujusmodi res, seu sacras & Religiosas tractare, nec illas per destinationem ad usus profanos quasi-violare licet.

Quid porrò nomine sustentationis congruè designetur? Cùm apud plerosque Theologos & Jurisperitos reperite sit, solum breviter determino. Nempe sustentatio illa non solum naturaliter intelligi debet, quantum præcisè sublevationem & necessitatem naturæ quoad victum & potum comprehendit; sed etiam civiliter, ac statui, conditioni, & officio conformiter, cum inclusione hospitalitatis, recreationis, moderatæ donationis &c. Vid. Sant-Gallenens *cit. Curs. Theol. d. tract. 5. sect. 1. quest. 2. dub. 4.* P. Engel ad *cit. de Pecul. Cler. n. 8. & seqq.* P. Reiffersuel *ibid. num. 76. & seqq.*

§. IV.

An & quale Dominium habeant Religiosi?

211 Sicuti Religiosorum variae sunt classes; sic etiam varia sunt ipsorum jura de rebus temporalibus, prout videre est apud P. Ininger de *Dom. disp. 2. q. 2. art. 1.* Nobis sufficit, inter Religiosos in communi & in particulari; nec non inter solenniter & non-solenniter professos distinguere, ac sequentes assertiones statuere.

212 Dico I. Religiosi in particulari, solenniter professi, sunt incapaces Domini rerum temporalium non-consumptibilium. Hæc conclusio est Catholica, & in liquidissimis textibus fundata, *cap. Joannes* 5. de *Regular. cap. Mo-*

nachi 2. *cap. super quadam* 4. *cap. cum ad Monasterium* 6. in *fin. de Statu Monach.* Trident. *sess. 25. de Regul. cap. 2.* Ratio est: quia Religiosi per votum paupertatis abdicant à se non solum Dominium circa res jam habitas, sed etiam se reddunt inhabiles ad Dominium circa res imposterum habendas; sicuti per votum castitatis à se abdicant jus ad conjugium non tantum de præsentî sed etiam de futuro; Ecclesiâ hujusmodi votum per approbationem SS. Ordinum Regularium acceptante.

Dixi tamen I. Religiosi, solenniter professi. 214

Nam Scholastici Societatis JESU, qui tantum emittunt vota simplicia, non sunt incapaces Domini, sed usus Domini solum ipsis interdictur, & consensu Superiorum alligatur, ita ut actualis dispositio sine consensu Superiorum secundum omnes sit illicita; secundum aliquos autem invalida. Lugo de *J. & F. disp. 3. sect. 4. n. 79.* Lessius de *J. & F. lib. 2. cap. 4. num. 28.* Haunold de *J. & F. tract. 4. n. 7.* Ininger *cit. l. art. 7.*

215 Dixi II. rerum temporalium. Enimvero res & bona spiritualia, qualia sunt Dignitas, Beneficium, Cathedra seu Professura, jus eligendi, vox activa in Capitulo &c. sunt in Domino Religiosorum in particulari, veluti cum S. Thoma tradunt Lessius de *J. & F. d. lib. 2. cap. 4. num. 26.* Reding de *J. & F. q. 5. art. 1. controu. 2. num. 1. & 2.* Ininger *cit. l. art. 3.* Magnif. P. Pettschacher de *Jure in comm. q. 1. sect. 5. n. 3.* Clarif. D. Braun de *Dom. cap. 5. 216 §. 2. n. 8.*

Ratio solet assignari: quia res & bona spiritualia, cum pretio non sint aestimabilia, proindeque nec statui Religioso indecentia, nec Religiosorum particularium perfectioni derogantia, non cadunt sub re-nuntiationem in voto paupertatis.

217 Ex quatione Illustrif. Caramuel in *Theolog. Regulari disp. 59. n. 831.* docet Religioso competere Dominium in sua Manuscripta: sunt enim partus & fructus ingenii, ac humanam æstimationem & pretium transcendunt. Et licet charta, cui mentis eruditæ cogitationes inscribuntur, ad Monasterium pertineat; sicque & scriptura Dominio Monasterii cedere

218 re videatur *S. Ihera 33. Inst. de R. D.* At tamen, cum ideæ intellectuales ad sui manifestationem chartam necessariam desiderent: ideò non scriptura Dominio chartæ, sed charta Dominio scribentis cedere debet; præsertim cum *cit. §.* de sola scriptura, quæ nudam scribentis industriam, sine compositione vel inventione ingeniosa, supponit, intelligendus sit, ut notat Harpprecht in *Comment. ad cit. §. n. penult. & ult.*

220 Dixi III. non-consumpibilem. Res enim, unico usu consumpibiles, quando destinantur ad usum Religiosorum, transeunt in ipsorum Dominium: quia, ut loquitur Joannes XXII. in *Extravag. ad conditorem de Verb. signif. in talibus rebus usus & Dominium non distinguuntur, sed utriusque unum, conceditur utrumque.* Quod ipsum etiam expressit Imperator Justinianus in *§. constituitur 2. Instit. de Usufr. & Jctus in l. sed de pecunia 2. §. 1. ff. de Usufr.*

221 *tear. rer. que usu consum.* Eaque de causa à Theologis & Jureperitis unanimiter defenditur, non licere in mutuo pro usu pecunie quidpiam accipere sine usura: quia scilicet usus pecunie non distinguitur à Dominio; & sicut pro Dominio nihil accipere licet supra capitale seu fortem, sic neque pro usu. Certè cum perfectissimus actus Domini sit rei consumptio vel destructio: ideò dum Religiosis datur potestas, rem consumendi, datur etiam in consequentiam Dominium. Sylve-

ster in *Summa V. Dominium §. 3.* D. Antoninus p. 4. tit. 12. cap. 4. §. 10. Turrecremata in *Summa lib. 2. cap. 12. ad 10.* & alii, quos refert, & sequitur Caramuel *cit. Theol. Reg. disp. 59. num. 871.*

Dico II. Religiosi in communi verum Dominium obtinent in rebus temporalibus, exceptis PP. Franciscanis, & Capucinis. Videtur & ista conclusio esse Catholica, si paucissimos, quibuscum sentit Navarrus, excipias. Constat tum ex dictis in *preced. 224 tract. de Person. Reb. & Fur. Eccles. p. 2. cap. 4. n. 4.* tum ex Concil. Trid. *sess. 25. de Regular. cap. 3.* ubi S. Synodus decernit: ut deinceps omnibus Monasteriis, virorum & mulierum, Mendicantium & non-Mendicantium, exceptis PP. Franciscanis & Capucinis, bona immobilia possidere liceat. Ratio desumitur partim ex intentione fidelium, qui, ut liquet ex literis fundationum, dotationum, aut donationum, Monasterii factarum, bona sua cum plenissimo jure transulerunt ad Monasteria: partim ex summa congruentia, quod omnino consilium & salubre sit, ut Monasteria, tanquam corpora mystica & perpetua, pro sua conservatione & perpetuitate Domini in bonis temporalibus consequantur.

Interim Dominium illud tam absolutum haud est, ut liceat communitatibus Religiosis aut earum Superioribus de bonis secularibus pro libitu disponere, sed quoad alienationem valde restrictum est, ut patet ex *cit. tr. p. 2. cap. 4. sect. 2. & 3. per tot.* Aliis quoque reditum & proventus usus non profanus & superfluous, sed moderatus, pius, & Religiosus sit, oportet. P. Pettschacher *cit. tract. q. 1. sect. 5. num. 1.*

Dixi: exceptis PP. Franciscanis & Capucinis; 227 hancque exceptionem ex Concil. Trid. iam ostendi. Possunt illis adjungi Domus Professæ Societatis JESU, earumque Profess, de quibus Molina de *J. & F. tract. 2. disp. 139. n. 1.*

Dico III. Quidquid acquirit Religiosus in particulari, acquirit Monasterio, seu Communitati Religiosæ. Hæc conclusio tam communis est, ut transferat in commune proverbium. Textus in *cap. Abbates 16. XVII. q. 2. cap. quia ingredientibus 7. cap. si qua mulier 9. XIX. q. 3. Auth. ingressi Cod. de SS. Eccles.* Rationem aliqui desumunt ex paritate servorum, de quibus dicitur, quod, quidquid acquirunt, acquirant suo domino; alii ex paritate filiorum familias, de quibus similiter pronuntiatur, quod, quidquid acquirunt ex causa peculii profectitii, acquirant patri. Sed

228 utraque paritas magnam patitur disparitatem. Nam servus, & filius, dum acquirit domino vel patri, sibi non acquirit: Religiosus autem, dum acquirit Monasterio, acquirit etiam per consequentiam sibi, quatenus est pars & membrum Monasterii; licet sine consensu Monasterii vel Superioris actualem disponendi potestatem non habeat.

Procedit autem adstructa conclusio I. tam in. 229

In Religiosis subditis quam Prælati: nam & isti, cum æque paupertatis voto ligentur, nihil immediate sibi sed Monasterio acquirunt; est facultate polleant, & noviter acquisita & alia Monasterii bona secundum dictamen prudentiæ dispensandi. P. Mezger *cit. disp. 30. art. 2. n. 7.*

232 Procedit II. in Religiosis beneficiatis, quando præficiuntur beneficiis, suo Monasterio incorporatis per *Clem. un. de Supplenda neglig. Prælat.* Quando autem præficiuntur beneficiis, Monasterio non-incorporatis, eaque quidem, quæ aliunde, quam ex editibus beneficiorum v. g. ex industria, donatione, successione &c. adveniunt, acquirunt Monasterio; sed reditus beneficiales, quatenus deducta congrua sustentatione reducant, ex communi opinione, in *cit. Clement. un. non obsecrè probatà, Eccles. in quibus beneficiis possident, acquirunt; potestatem nihilominus habent, tum administrandi, tum in piis causis hujuscemodi bona conferendi.*

233 Et quia Monasterium reputatur inter causas piæ, licebit etiam, donationis piæ titulo Monasterio aliquid offerre. P. Engel ad *tit. de Regularib. num. 69.* P. Pettschacher de *Jure in Comm. sect. 5. subsect. 1. pag. m. 52. & 53.* P. Ininger de *Dom. disp. 2. quest. 2. artic. 6. pag. m. 85.*

234 Procedit III. in Religiosis fugitivis, apostatis, & ejectis ad tempus per textum in *cap. Abbates 16. XVII. q. 2.* quia remanet ex parte Religiosi nexus voti paupertatis, indeque resultans Domini incapacitas; ex parte Monasterii verò remanet jus acquisitum in omnibus rebus & bonis Religiosi, tam præteritis quam futuris. Pettschacher *cit. l. pag. 62. & seqq.* Braun de *Dom. cap. 5. §. 5. n. 9. & seqq.*

235 An autem procedat in ejectis in perpetuum? Sub Judice lis est, quam improprietatem dirimere nolum, sed potius ad Authores mox citatos, P. Engel in *num. 57.* & P. Ininger *pag. m. 87.* remittere.

236 Excipiuntur autem ab adducta conclusione I. Religiosi, ad Episcopatum erecti: nam, licet à voto paupertatis neutiquam eximantur, secundum decisa in *cit. tract. de Person. Reb. & Fur. Eccles. p. 1. cap. 3. n. 264.* acquirunt tamen Episcopatu seu Ecclesiæ, cui spiritualis matrimonii vincula conjunguntur *cap. un. XVII. q. 1.*

Hoc ipsum tamen laudat P. Engel in *num. 67.* intelligit solum de bonis, prospectu Ecclesiæ quæstis; de aliis verò, quæ ex successione, parsonia, vel industria proveniunt, insigniter ostendit, quod acquirantur Monasterio, cujus membrum habituale vel radicale Religiosus Episcopus juxta non paucos manet.

238 Excipiuntur II. Religiosi, ab uno Monasterio vel Ordine ad alium stabiliter translati: tales siquidem, quæ acquisiverunt ante translationem, Monasterio, à quo transferuntur, relinquere tenentur; quæ verò post translationem acquirunt, Monasterio, ad quod transferuntur, cedunt: nam causa acquisitio-

nis seu unio & nexus inter Monasterium & Religiosum respectu prioris Monasterii post translationem definit, & respectu posterioris incipit. P. Engel *d. l. n. 65.* P. Pettschacher *pag. 47. & seqq.* limitant exceptionem hanc, quando Monasterium est incapax bonorum: tunc enim, si fiat transitus à Monasterio, bonorum capaci, ad incapax, hæreditas deveniet ad consanguineos; & si transitus fiat à Monasterio bonorum incapax ad capax, bona prius acquisita remanent consanguineis; postea verò comparata devolvuntur ad Monasterium. Vid. Tamburin. de *J. A. tom. 3. disp. 7. quest. 6.*

Dixi stabiliter. Nam, qui transferuntur ad aliud tempus ad aliud Monasterium, vel ut Priores, Professores, Concionatores &c. agant, vel ut munus aliud obeant, manent anterioris Monasterii membra, & eidem omnia acquirunt, quæ ex re vel intuitu illius Prioratus aut muneris, ut ibidem maneat, specificè non deferuntur. P. Engel *d. l. n. 70.*

Unicum pro praxi dicendum restat: cuius nam acquiratur res donata vel legata Religioso sub ea conditione, ut ad ipsum, non ad Monasterium pertineat? P. Pettschacher *cit. loc. pag. m. 30.* P. Engel de *Privileg. Monast. priv. l. 1. num. 6.* P. Mezger *cit. disp. 30. art. 4. num. 7.* adimplante Eminentiff. Card. de Lugo de *J. & F. disp. 3. sect. 3. num. 57.* & alii dicunt, rem ita legatam aut donatam quoad proprietatem cedere Monasterio, sed quoad usum, à consensu Prælati dependentem, ad Religiosum legatarium aut donatarium pertinere.

Ratio est: quia generatim omnes actus sic oportet interpretari, ut magis valeant, quam non valeant; præsertim actus ultimæ voluntatis, quorum ingens est favor, & summa obligatio, ut juxta verosimilem testantis intentionem explicentur & observentur *l. plenius 1. §. 4. ff. de Usu & habit. l. quoties 1. ff. de Reb. dub. l. qui quadringenta 88. in pr. ff. ad L. Falcid. l. in contrahenda 172. §. 1. ff. de Reg. J.* Ergo etiam donationem seu legatum hujusmodi licet oportet interpretari, ut valeat, quantum valere potest, nempe ut proprietatem ad Monasterium, & usum dependens ad Religiosum spectet.

Debet itaque Prælati Religioso dare licentiam, rem donatam vel legatam ad usum honestos & Religiosos applicandi; ceteroquin legatum vel donatum, conditione deficiente, corruet; nisi Religiosus, de cuius favore principaliter agitur, usum sibi concessum ultro resignet.

Quodsi testator donator expressè declaret, se velle, ut res donata vel legata quoad Dominium ipsimet Religioso in particulari acquiratur, aliqui dispositionem hanc judicant invalidam; alii conditionem pro non-adjecta habent, uti videre est apud P. Pettschacher *ubi supra pag. 33.* Ego tamen inter donationem & legatum distinguo, & illam non valere; istud valere credo; quia conditiones turpes, qualis est præfens, actibus inter vivos adjectæ, illos vitiant & annullant *§. impossibilis 11. Inst. de inst. stipul. l. 553*

non solum 31. ff. de O. & A. Econtrā actibus ultimæ voluntatis appofitæ viciantur, & pro

§. V.

An penes duos existere possit Dominium in solidum ejusdem rei?

246 Quid Dominium diversæ rationis penes duos existere possit circa rem unam, controversiâ caret: quoties enim accidit, ut unus in fundo habeat Dominium directum, 247 alter utile; hic civile, iste naturale? Quod etiam Dominium ejusdem rationis penes duos existere possit pro indiviso, ut unum sit Dominium, & nullus independenter ab altero disponere valeat, certum & definitum est in Jure in communione hereditatis & rerum singularium t. r. ff. & Cod. Famil. heredit. & Communi Divid. Quod econtrā plenum Dominium ejusdem rationis pro diviso penes duos in solidum existere non possit permanenter & stabiliter, communitur omnes agnoscere, tradit P. Ininger de Dom. disp. 1. q. 1. art. 4. pag. m. 14. idque à Jureperitis passim ut certum & indubitatum supponi, scribit D. Braun de Dom. cap. 5. §. 3. n. 1.

249 Verum huic communissimæ sententiæ rationes obstant, ad eodē momentosæ, ut jam olim fuerim professus, quod, etsi vellem, eidem describere non possem. Quæ ipsæ rationes, ut necum non subscriberent, hucusque ex nostra Universitate moverunt alios. Clarissimos Viros, P. Coclestinum Mayr in *trakt. de J. & F. quest. 5. art. 2. §. 2. & 3.* D. Ayblinger ad *Somering Inst. de R. D. n. 36.* Et cum antiqua menti opinio tenaciter in scripta maneat, eam antiquis fundamentis communire, & arietes, quos noviter ex adverso ad illius eversionem admotos esse comperi, retundere conlitui.

250 Probatur itaque mea sententia hōc modō. Si Dominium ejusdem rationis in eadem res penes duos in solidum existere, & quilibet de ea re in solidum independenter ab altero disponere non possit, id proveniret vel ex natura generica Juris Proprietatis; vel ex natura generica Juris Reals; vel ex natura specificæ Dominii. Neutrum ex his dici potest. Ergo &c. Prob. min. quoad I. membrum.

251 Natura generica Juris Proprietatis nihil aliud involvit, quàm facultatem agendi vel alios habendi obligatos in suum commodum. Sed facultas agendi vel habendi alios obligatos in suum commodum circa rem eandem duobus in solidum convenire potest, ut patet evidenter in casu correalis obligationis, quando duobus eadem res ab uno simul & semel promittitur: tunc enim res una debetur utrique in solidum, & uterque habet promissorem obligatum ad rem totam vel solidum præstantum §. ex *hujusmodi 1. Inst. de Duob. reis stipul. l. cum duo 2. l. in duobus 3. §. 1. ff. de Duob. reis constit. l. si rem 31. §. 1. ff. de Novat.*

252 Neque respondeas I. hanc obligationem non consistere penes duos in solidum pro eodem tempore, dum unō petente vel remittente debitum, acrius jus extinguitur *l. ex duo-*

nullis reputantur *l. sub conditione 1. l. conditiones 14. ff. de Cond. instit.*

§. V.

An penes duos existere possit Dominium in solidum ejusdem rei?

253 *bis 16. ff. d. 1. de Duob. reis &c.* Contra enim est: quia uterque creditor, in puncto contracti debiti factæque promissionis, acquirat jus exigendi debitum in solidum; & si in actuali petitione debiti concurrant, solvitur eadem res utrique. Ergo jus exigendi debitum est penes duos in solidum pro eodem tempore. Et licet melior sit conditio prævenientis, ac qui prior foris exigit debitum, totum privatim nanciscatur; competit tamen utrique jus exigendi pro eodem tempore: quia actualis exactio pertinet ad actum secundum, ad essentiam Juris Proprietatis, quæ magis in potentia quàm actu consistit, minimè necessarium, prout patet non solum ex dictis in n. 17. ubi notatum est, pupillos & minores (quibus etiam dormientes & amentes accensere licet) esse veros dominos, licet actu nequeant disponere; sed etiam ex communissima Philosophorum doctrina, docentium, verba, in definitione posita, non dicere actum sed potentiam, quæ potest separatim ab actu consistere.

254 Neque respondeas II. jus, quod habent duos correi stipulandi, competere quidem ipsis in solidum obiectivè, ita ut *ly in solidum* appellet supra rem; non autem *subjectivè*, ita ut *ly in solidum* appellet supra jus ipsum. Contra si quidem est: partim quia, si correis stipulandi competat eadē rem jus in solidum obiectivè, competit etiam indispensabiliter jus petendi in solidum: nam quantitas juris mensuratur ab obiecto, & qui totam rem seu in solidum petere valet, habet jus petendi rem totam seu in solidum: partim quia in *cit. §. ex hujusmodi 1. Inst. de Duob. reis stipul.* expressè dicitur, *solidum singulis deberi*; quod nihil aliud est, quàm unumquemque jus in singulari & pro diviso habere, totam rem aut quantitatem debitam exigendi: partim quia in *l. si rem 31. §. 1. ff. de Novation.* aptissimè in rem nostram perorat Jctus Venulejus, *si duo*, inquit, *reus stipulandi sint, an alter jus novandi habeat, quaeritur; & quid juris unusquisque sibi adquisierit? Ferè autem convenit, & uniretè solvi, & unum iudicium potentem totam rem in litem deducere: item unius acceptilatione primi utriusque obligationem: ex quibus colligitur. NB. unumquemque perinde sibi adquisisse, ac si solus stipulatus esset: atqui si solus quis stipulatus esset, haberet jus exigendi solidum etiam subjectivè: partim quia nemini dubium est, quin si Titio donaretur aut legaretur annulus, & in casum, quò donatum aut legatum annulum intra spatium unius mensis acceptare nollet, is Sempronio censeatur esse donatus aut legatus, Titius haberet jus petendi annulum tam obiectivè quàm subjectivè, licet nec solus, nec omni tempore possit annulum exigere: patet ergo dubium videri non*

debet,

An penes duos existere possit Dominium in solidum ejusdem rei? §. I

255 debet, quin, si idem annulus duobus in solidum fuerit promissus, uterque jus annulum petendi habeat in solidum tam obiectivè quàm subjectivè, licet nec unus solus, nec omnitempore (in actu secundo) possit annulum exigere.

256 Neque respondeas III. instantiam de pupillo, in n. 256. adductam, ad rem non esse: quia impotentia disponendi provenit ab impedimento, Dominio eorum prorsus extrinseco, videlicet ex ordinatione legis, non ex defectu juris: cum penes alium non supponatur jus, sed id totum pupillo adjudicetur: cum econtrā si dominus habeat alium condominium in eadem re, & hic illum præveniat, dispositio ex parte domini propter impedimentum intrinsecum, defectum scilicet juris, quia non habet jus dominum prævenientem excludendi, retardetur. Nam contra est: quia, si unus dominus alterum in dispositione præveniat, etiam præventus dominus habet jus disponendi in actu primo, sicut pupillus, & impedimentum, quod, supposita præventionem, conarsit, non tenet se ex parte actus primi seu juris, sed ex parte actus secundi seu actualis dispositionis, quæ tantum ab intrinseco & per accidens impeditur: quia scilicet obiectum, circa quod versatur dispositio, est tale, ut alterius simultaneam dispositionem non recipiat: quodsi tale obiectum supponamus, quod utriusque condominiumi dispositionem actualem recipiat, uterque poterit in actu secundo disponere.

257 Quoad IV. per hoc ipsum, quod in *cit. n. 256.* de verbis, in definitione positus, additum erat, duorum Dominium in solidum excludi: tum quia Dominium plenum denotat potentiam ad eadē expeditam, ut alius sine injuria nequeat impedire, quò minus illa potentia quòcumque tempore pro lubitu prodire valeat in actum secundum: tum quia condominium, habens jus præveniendi, per actualem præventionem non tantum impeditur actum secundum alterius domini, sed insuper ligat ejusdem liberam potentiam disponendi.

258 Enimverò contra responsum occurunt plura, in decursu vel adstruenda, vel repetenda, quòd nempe potentia non aliter expedita esse debeat, quàm ut possit in actum secundum possibilem exire; vel ut possit exire, nisi ab extrinseco impeditur, uti pupillus impeditur à tutore, quò minus in actu secundo per se disponat: quòdve per actualem præventionem non ligetur libertas potentie, sed illa ex se maneat expedita, vel ad similem vel ad aliam dispositionem, Dominio connaturalem.

259 Quoad II. membrum sic ostenditur memorata propositio. Jus Reale denotat facultatem, quæ nobis immediatè subjicitur res, in ordine ad aliquam actionem, in commodum nostrum circa rem exercendam. Hæc autem facultas utique duobus competere potest, sicuti constat I. in servitute, quæ, si debeatur fundo communi, censetur omnibus

fundi dominis in solidum deberi *l. loci corpus 4. §. 3. ff. si Servit. vindic.* II. in pignore, 260 quod in eadem re duobus eodem tempore constitui, & singulis in solidum acquiri potest *l. si debitor 10. l. si fundus 16. §. 8. ff. de Pignori. l. si colonus 1. §. 1. ff. de Salviano interd.* III. 261 in possessione, quàm in una re duobus eodem modo competere posse, supponitur in *l. si duo 3. in pr. ff. Uti possidetis, & probatum est in Lib. 3. tract. de Prescrip. cap. 5. an. 390.*

262 Quòd si denuò respondeas I. memorata jurā non competere pluribus pro eodem instanti, sed prævenienti meliorem esse conditionem. Contra est denuò: quia præventio appellat super actum secundum & exercitium ejusmodi Juris: sed actus secundus seu exercitium non requiritur ad substantiam Juris; sicque Jus in re penes duos in solidum pro præventionem non evitatur. Quin imò in 270 servitute jus itineris v. g. actus, aut via pluribus in eodem fundo sic competere potest, ut omnes in actu secundo & exercitio concurrere valeant; quemadmodum etiam possessio civilis, præsertim in rebus incorporalibus, ita penes duos consistere potest, ut ambo in actu secundo & exercitio possessionis concurrant.

271 Quòd si respondeas II. servitutem pluribus in solidum competere tantum obiectivè, non subjectivè seu quoad jus: quia nimirum juxta *cit. l. loci corpus 4. §. 4. in ff. si Servit. vindic. servitus divisionem non recipit*, & idè cuilibet fundi communis domino competit actio in solidum, quoniam jus plenum habeat; nec agendò servitutem sibi soli quis acquirat, sed omnibus condominiumis, quorum nomine agere videtur *d. l. §. 3.*

272 Rursum in contrarium arguo: quia, si unus ex condominiumis agat, servitutem acquisitam ita pluribus efficit communem, quasi solus jus servitutis haberet, nec possit in illius usu ab uno ex condominiumis impediri: idè què servitus pluribus condominiumis prædii communis & obiectivè & subjectivè, seu quoad jus, competet, utpote cum nullus ab altero in illius exercitio dependeat. Et licet 273 ceter ex n. 270. servitus in actu secundo concurrat plurium dominorum prædii dominantis non abhorreat: exinde tamen in præjudicium Dominii simultaneè nihil eruitur; vel quia concurrentis actualis ex sæpe dictis non requiritur ad essentiam Dominii; vel quia, qui servitutem obtinet, est dominus ipsiusmet servitutis *arg. t. i. ff. si Servit. vindic.* consequenter Dominium servitutis in eodem fundo pluribus in solidum competere valet; vel quia res corporales quoque nonnunquam ita sunt comparatæ, ut usum simultaneum pluribus concedant, ac v. g. plures in agro vel vinea fructus aut vas colligere permittant.

274 Quòd si respondeas III. pignus in eadem re pluribus duntaxat constitui quoad obiectum seu rem pignoratam, non autem quoad jus pignoris per textum in *cit. l. si debitor 10. & l. si colonus 1. §. 1. ff. de Salviano interd.* ubi dicitur, inter ipsos creditores, si questio movèatur,

pcii-

possidentis meliorem esse conditionem. 275 Redibit antiqua reoriso, quod etiam jus pignoris, reduplicatè spectatum, pluribus competat, hoc ipso, quod ex se divisionem non capiat, & uni ex creditoribus ita proficiat, ut ab altero non dependat; nequicquam faciente possessione, quæ, sicut in aliis iuribus, sic etiam in iure pignoris, est prorsus per accidens, ac plerumque non transfertur in creditores, sed penes debitorem manet.

276 Quod si respondeas IV. textum in *cit. h. si duo 3. in pr. ff. Ut possidatis exaudiendum esse de diverso iure possidendi*, ita ut unus civiliter, alter naturaliter possideat, ne ceteroquin contradicatur textibus in *l. si ut certo 5. §. 15. ff. Commod. l. possideri 3. §. 5. ff. de A. vel A. P. l. duo 277 in solidum 19. in pr. ff. de Precario*. Vehementer miror hanc inexpectatam responsionem: nam, etiam si sponte concederem, recitatum textum in *l. si duo 3. in pr.* de diverso possidendi iure procedere, contradictio tamen, quæ tinetur ex adverso, nequaquam evitari posset: nam textus in *cit. l. possideri 3. §. 5. ff. de A. vel A. P. negat*, quod unus iuste, alter iniuste possidere valeat: ibi: *Idem Trebatius probabat existimans, posse alium iuste, alium iniuste possidere: duos iniuste, vel duos iuste non posse. Quem Labeo reprehendit: quoniam in summa possessionis non multum interest, iuste quis an iniuste possideat.*

278 Quod est verius. Econtra textus in *d. l. si duo 3. in pr. id aperte concedit*: ibi: *si duo possideant in solidum, videamus, quid sit dicendum: quod, qualiter procedat, tractemus. Siquis proponeret possessionem iustam, & iniustam? Ego possideo ex iusta causa, tu vi aut clam: si à me possides, superior sum interdicto: si verò non à me, noster nostrum vincitur: nam & tu possides, & ego.*

279 Quamobrem generaliter est indulgendum, possessionem apud duos in solidum existere posse, & ad ill. oppositas respondendum, ibidem non possessionem, à causa sic dictam, sed à modo possidendi sic appellatam, intelligi, quod scilicet eidei rei duo naturaliter & corporaliter insistere nequeant, ut probat ratio *d. l. possideri 3. §. 5. quia, ut ait J. C. T. ut, non magis eade possessione apud duos esse potest, quam ut tu stare videaris in eo loco, in quo ego sto: vel in quo ego sedeo, tu sedere videaris.*

280 Sireplices: ex hac responsione sequi, quod vel Trebatius in tantum deliraverit, ut crediderit, duos naturaliter ita possidere posse, ut ambo eadem rei in eadem parte corporaliter insistant; vel Paulus & Labeo, ad refutandum Trebatium ineptè paritatem adduxerint de stando vel sedendo, ac sensum ludicrum fecerint: non magis duo in eodem loco stare vel sedere possunt, quam duo in eodem loco stare vel sedere possint. Inaniter torqueris, & sine causa irascaris. Nam, an Trebatius deliraverit, an tantum somniaverit, aut aliàs plurium J. C. Torum exemplo erraverit, meum non est, inquirere: sufficit enim, quod à Labeone fuerit reprehensus, non reprehendendus, si 281 erroneum quid non defendisset. Adducta paritas ad confusionem aut refutationem Trebatii per accommodata fuit: nam, ad ostendendam

vel contrarietatem vel contradictionem rectè sic argueret vel Dialecticus seu J. C. T. ut: si duo possent eandem rem naturaliter & corporaliter possidere, possent etiam duo naturaliter in eodem loco stare: sed consequens est falsum: ergo & anteced. major prob. Na. 282 turaliter & corporaliter rem possidere dicitur, qui rei corporaliter & physice insitit, ut ex descriptione possessionis in *cap. 6. sect. 1. §. 2. patebit*: ergo si duo rem naturaliter possiderent, eidem rei simul insisterent, seu in eodem loco flarent, aut sederent.

Quoad III. membrum superioris propositionis 284 demonstratur hęc modò. Dominium ex n. 16. est potestas immediate de nomine proprio disponendi per actiones Lege permittas. Atqui potestas ita disponendi duobus in solidum competere valet. Ergo & c. minor. prob. I. Quando duobus eundem equum 285 dono vel vendo, eà lege, ut eumque possidet equo immediatè & nomine proprio disponere, independenter ab alio, potestas disponendi de equo duobus in solidum competit: eadem namque potestas respectu totius equi competit eodem utriusque modò. II. Quam 286 do duobus eodem tempore numeratur pecunia mutua, penes utrumque potestas est, de pecunia numerata disponendi, prout supponi videtur in *l. si non singulis 5. Cod. Si cert. peti.*

III. Quando duobus iuxta n. 293. eadem res 287 est obligata; vel iuxta n. 277. & seqq. duobus servitus, pignus, aut possessio constituta est in eadem re, quilibet de iure suo disponere potest in solidum, id exercendò, negligendò, eadendò, alienandò & c.

IV. Quando jus 288 venandi in eadem sylva pertinet ad plures cumulativè, sicuti frequenter evenit, omnes facultatem habent, aut, si placuerit, venandi, aut, si noluerint, jus suum abdicandi vel intermittendi.

V. Quando in uno ter 289 ritorio vel in una causa Jurisdicção spectat ad plures (veluti spectare potest non tantum Jurisdicção delegata per textum in *cap. cum plures 8. de Offic. Jud. Deleg. in 6.* sed etiam ordinaria per text. in *cap. ult. de Sent. & re judic.* utpote quam Judicium Imperiale Aulicum cum Imperii Camera in plerisque causis concurrentem; nec non Judex Ecclesiasticus cum Sæculari quoad causas mixti fori cumulatas habet) potestas jus dicendi, seu Dominium Jurisdicçãois omnibus in solidum noscitur esse concessum. Ergo potestas de re nomine proprio disponendi pluribus in solidum competere valet. Ergo Dominium penes plures in solidum existere potest.

Dices: ex compossibilitate recensitorum 290 iurium solummodò concludi, vel quòd potestas de re nomine proprio disponendi pluribus detur in solidum pro indiviso, vel quòd illa potestas sit imperfecta minusve plena, dum ab alio per præventionem impediri potest.

Resp. hoc gratis & sine fundamento dici. 291 Nam in primis talia jura & consequenter inde potestatem disponendi pluribus in solidum. divilim & distinctè dari, liquet evidenter: quia

quia nullus dependet ab alio quoad juris & potestatis acquisitionem, exercitium, aut conservationem. Certè cum Jurisdicção Ecclesiastica sit distincta à Sæculari, non potest respectu ejusdem causæ censeri indivisa & indistincta, quando competet Judici Ecclesiastico simul & Sæculari. Deinde potestas nequit imperfecta minusve plena vocari, quæ se extendit ad omnem usum rei ex n. 27. Atqui potestas disponendi, de qua à num. 283. se extendit ad omnem usum rei. Ergo & c.

294 Nec plenitudinem potestatis impedit impedibilitas per præventionem: sicut enim impedimentum, quod provenit à Lege vel conventionem, non impedit Dominii plenitudinem: eò quòd Dominium non dicat qualemcumque disponendi potestatem, sed per actiones Lege permittas iuxta num. 22. & hinc etiam hæres rei, sub conditione legatæ, plenus dicitur esse dominus, licet ejusdem alienatio impediarur à Lege l. generaliter 29. §. 1. ff. Qui & à

295 quibus manusmissi & c. Sic etiam impedimentum, quod provenit à præventionem, non impedit potestatis plenitudinem: habet enim quilibet ex dominis jus præveniendi, & si unus alterum præveniat, est merè per accidens.

296 Dominio duorum in solidum ita consolidatò, non vacat illam controversiam, ceu merè theoreticam, & nihil utilitatis habentem, examinare: num detur Dominium in solidum in instanti translationis? Sed potius argumenta contraria refellere. Igitur

297 Obijcies I. textum valde perspicuum in *l. si ut certo 5. §. 15. ff. Commod.* ibi: *duorum quidem in solidum Dominium vel possessionem esse non posse.* In cujus confirmationem accedit ratio Juris, quæ non sinit paganus cum duobus testamentis decedere per §. posteriore 2. *Instit. Quib. mod. res. infirm.* quia ceteroquin darentur duo domini ejusdem hæreditatis in solidum.

299 Resp. I. objectam *l. si ut certo 5. §. 15.* æquè DD. Adversariis ac mihi solvendam esse: cum loquatur generaliter de Dominio, nec distinguit inter plenum & non plenum; ejusdem & diversæ rationis; imò partiale quoque Dominium penes duos existere posse negat: eum tamen eadem domus ad plures dominos partiales pro diviso spectare valeat per textum in *l. si in rem 6. ff. de R. P.*

300 Resp. II. Celsi sententiam, quæ ibidem ab Ulpiano tantum refertur, non tamen aperte probatur, accipiendam esse de casu ordinario, quò plerumque Dominium in rebus corporalibus ita transfertur in alterum, ut ille vel solus privatè sit dominus, vel Dominium habeat commune: ut proinde sit opus specialis conventionem, quæ Dominium ejusdem rei corporalis in plures cumulativè dividatur.

301 Ad instantiam de duobus testamentis Resp. rationem, cur nemo paganus cum duobus testamentis valeat decedere, non fundari in impossibilitate Domini duorum in solidum. (ceteroquin nec miles duo testamentis cum

effectu posset condere; nec paganus effecere, ut duo sint hæredes universales pro indiviso) sed potius in præsumptionem, quòd testator paganus, qui jam semel de omnibus bonis dispositionem fecerat, novam dispositionem, sine revocatione prioris, facere noluerit, ut dicitur infra in *tract. de Success. hæred. part. 1. cap. 1.*

Scio, responsioni, in num. 300. datæ, quem 302 piam obloqui, quòd Ulpianus nec minimò signò innuat, Celsi sententiam sibi displicere, aut dubiam videri; quòd insuper Celsius non dicat, duorum Dominium in solidum esse non solere, sed esse non posse: quæ verba, nisi temerè torqueantur, impossibilitatem & repugnantiam significant. Sed frustra hæc & alia. 303 Ulpianus Celsi sententiam nec sibi displicere innuat, nec placere asserat, illam profectò nec probat, nec improbat, nec partes referentis duntaxat agit; id, quòd nihil insolitum, sed J. C. et Interpretibus admodum frequens & familiare noscitur. Imò, quæ ra 304

tione posset Ulpianus Celsi sententiam probare, dum æquè Dominium rei corporalis iuxta diversas partes pluribus competere negat, ac Dominium in isdem partibus? cum ipsismet Celsus in *l. quod meo 18. §. ult. ff. de A. vel A. P.* quin & Ulpianus in *l. prator ait 1. §. 5. ff. de Inst. atque privatorum*. aperte fateantur, in re dividua partem unam ab uno, aliam ab alio possideri & haberi posse? Ad displicet, ais, *ly dicitur, 305 cum Celsus dicat: esse non posse.* Sed cur non displicet, quòd Celsus dicat, etiam possessionem penes duos in solidum esse non posse? cum Ulpianus è diametro in *l. si duo 3. in pr. ff. Ut possideris* supponat, possessionem in solidum duobus competere posse, sub diverso saltem respectu. Estne hoc temerè Juris textum torque 306 re, quando ad textum, cum textibus & ratione concordandos, assumitur interpretatio, Jurisprudentiæ non inimica, non exosa, vel exotica, qualis est nostra, dum *ly non posse* non accipimus in significatione philosophica vel grammaticali, sed juridicâ, quæ persæpe idem denotat, ac quod tam facile, regulariter, & ordinariè fieri non debet aut solet; licet interdum aliud evenire solet & possit, ut liquidum evadit vel ex solis regulis Juris in *l. foemina 2. l. quod initio 29. l. nemo 70. l. melior 133. l. qua ab initio 210. ff. de R. P.*

Obijcies II. Dominium duorum in solidum 307 involvit contradiccionem: quia eidem respectu ejusdem & circa idem faveret Lex, & non faveret; gravaret, & non gravaret: quilibet ex condominis posset disponere licitè, veluti supponitur, & non posset; cum unus ab alio licitè posset impediri: rursus qui libet foret Dominus plenus, sicuti denuò supponitur, & non foret: eò quòd alius haberet jus firmum & stabile in eadem re. Ergo est chimæricum & impossibile.

Resp. adstructa contradictoria nullatenus 308 esse talia. Siquidem Lex favet & non favet, utrique Domino sub diversâ consideratione: favet utrique, consideratò tempore, quò neuter alterum prævenit, dum utrique dat æqualem

lem potestatem, alterum, si voluerit, in usu & exercitio Domini præveniendi; non favet utrique, consideratò tempore, quò unus ab altero jam præventus est in usu & exercitio Domini, respectu plurium impossibili: tunc enim Lex favet præventi, non autem prævento, sed ipsum graveat, ne præventionem impediatur à continuatione usus & exercitii jam inchoati. Dixi: *respectu plurium impossibili*. Nam si rei cujusdam usus & exercitium sit compositibile respectu plurium, uti v. g. est possessio in rebus incorporabilibus, etiam in casu præventionis Lex utrique favet, usum & exercitium utrique concedendò; gravat nihilominus sub alio respectu utrumque, prohibendò, ne unus alterum in concursu impediatur. Eadem solutio datur, quando dicitur, quòd dominorum quilibet possit disponere licite, & non possit: videlicet ante casum præventionis uterque potest disponere licite, nec unus alterum impedire potest; at pro casu præventionis solus prævens disponit licite in actu secundo, nec impediri potest ab alio pro tunc, quando usus & exercitium est impossibile respectu plurium. Quando autem in fine subijcitur, non quemlibet fore plenum dominum: eò quòd alius habeat jus stabile & firmum in eadem re; sciendum est, Dominium plenum ex *num. 27. esse*, quòd extenditur ad omnem usum & dispositionem rei: at quilibet ex Dominis habet facultatem ad omnem usum & dispositionem rei ex *num. 294.* Nec tollitur ea facultas, tamen unus ab alio per præventionem impediatur: cum etiam, qui æger est, aut quem tempesta exire domò prohibet, habeat facultatem omnimodè disponendi de agro v. g. licet per ægritudinem aut tempestatem disponere impediatur. Et quarvis alii ex *num. 26.* requirant ad Dominium plenum, ut nullus alius habeat jus stabile & firmum: id tamen earens exaudiri debet, quantum jus illud stabile & firmum impedit omnem rei dispositionem & usum, tam in actu primo quam in actu secundo; seu, si aliter discurrere libeat, tam in sensu composito quam in sensu diviso. Stante igitur potentia disponendi in actu primo vel sensu diviso, non impeditur Domini plenitudo ex eo, quòd alius quidam jus stabile & firmum habeat.

314 Obijcies III. Qui solus habet Dominium rei, plus Juris Realis habet, quam si alius in eadem re Dominium simul habeat: potest enim alium quemcumque, quocumque tempore dispositionem aliquam in illa re exercere volentem, excludere, & si ipsemet disponere velit, à nemine potest impediri; eum contra, si condominium habeat, eum, jure præventionis utentem, excludere nequeat; & si præventionem supposita circa rem disponere cupiat, à præventiente possit impediri. Ergo, qui condominium in eadem re habet, non habet plenum Dominium, sed plenus est, quòd uni domino privatè datur. Huic argumento simile est alterum: qui solus habet Dominium, in

re aliqua, habet Jus magis æstimabile, quam alius, qui condominium habet: quippe cum in æstimatione prudentium majori constet pretio res, in quas jus nemini, quam habenti competit, atque res alia, in qua Jus alteri quoque concessum est. Ergo Dominium, penes duos in solidum, si daretur, plenum non esset, sed plenus est Dominium, quòd uni privatè conceditur.

Ad hæc & similia argumenta præclare respondet Clariss. P. Cælestinus Mayr in *tract. de J. & F. q. 5. art. 2. §. 3. sub n. 19.* quòd, qui solus habet Dominium rei, plus Juris Realis habeat *extensivè*: quia huic Juri activo correspondet latius & amplius Jus passivum ex parte terminorum, qui plures sunt, quam si plures sint domini, quorum unus alteri non est obligatus ad non impediendam liberam dispositionem in actu primo; *intensivè* verò plus Juris Realis non habeat: quia in actu primo quilibet habet jus disponendi tam amplum, ut ad omnem rei usum se extendat. Instantiam Theologicam insinuat laudatus P. Mayr de visione beatificæ, & de penis damnatorum; instantias Juridicas quam plurimas ego accumulò. Sic enim intensivè plenus rei dominus esse censetur, qui rem suam in usufructum concessit, servitute gravavit, commodavit, locavit, pignori dedit &c. quantumvis *extensivè* non habeat tot terminos, seu Jura passiva Juri activo correspondentia; nec omni tempore in actu secundo disponere, vel, si disponere velit, ab aliquibus impediri valeat, puta ab usufructuario, domino prædii dominantis, commodatario, conductore, creditore pignoratitio &c. Nec patior discrimen, ab aliis assignatum, quòd in casu condominii defectus liberè disponendi proveniat ab intrinseco, seu carentia Juris; at in casu concurrentis alterius Juris defectus proveniat ab extrinseco, lege vel conventionem. Hoc ipsum enim est in questione, an impedimentum actualis dispositionis in concursu plurium dominorum sit intrinsecum? Et, quòd; non tale, sed extrinsecum sit, probatur ex paritate usufructus, servitutis, commodati, locati, pignoris: quia jus disponendi ex parte domini (in actu primo) manet illibatum, esto in actu secundo, dum v. g. ex fundo suo fructus colligere intendit, impediri possit ab usufructuario, commodatario, conductore &c. propter Jus, ex usufructu, commodato, locatione acquisitum: eaque propter & jus disponendi manet ex parte unius domini (in actu primo) intactum, licet in actu secundo dum v. g. fructus ex fundo colligere vult, à condominio præventiente possit impediri propter Jus, eidem ex Domino simultaneo acquisitum. Atque hinc pariformiter ad id, quòd opponeretur de majori æstimabilitate, reponitur, quòd, sicuti Condominium fundi intensivè non censetur esse non-plenum, licet usufructu, servitute, vel pignore sit affectus, aut alteri locatus vel commodatus, idè què minus æstimabilis, quam fundus alius, ab hisce

An penes duos existere possit Dominium in solidum ejusdem rei? 515

oneribus liber & exemptus: sic etiam non censetur esse Dominium intensivè minus plenum, quantumvis propter condominium fundus sit minus æstimabilis, quam fundus alius, ad unum dominum privatè spectans.

321 Instabis: Jus plenum datur ad hoc, ut quis etiam in actu secundo plenè & liberè disponere, atque aded nullus alius actum hunc sine injuria impedire queat; imò in hoc consistit injuria, quòd quis impediatur actuale exercitium, ad quòd alter Jus habet. Ergo si quis in actu secundo sine injuria possit impediri, non censetur habere Jus plenum.

322 Resp. hanc instantiam per instantias priores jam everfam esse: nam etiam ille Jus plenum habet, qui in actu secundo non liberè disponere, sed citra injuriam ab usufructuario, commodatario, conductore &c. potest impediri. Similiter qui agrum vendidit, nec tamen tradidit, est plenus dominus, tamen in actu secundo nequeat amplius fructus percipere, vel alteri vendere, possitque citra injuriam ab emptore impediri. Itaque vel negandum est, quòd ad plenitudinem Domini requiratur actualis & libera dispositio, sed potestas & jus disponendi in actu primo sufficiat; vel dicendum, quòd illa duntaxat dispositio in actu secundo requiratur, quæ non obviat Legibus, pactis, & conventionibus; vel denique respondendum, quòd, si dispositio possit ab impedimento intrinseco sufflaminari, plenitudo Domini minuatur; non autem, si possit ab impedimento extrinseco retardari.

324 Urgebis: per jus præveniendi, quòd datur dominis, plenitudo Domini etiam in actu primo infringitur: nam, si unus habeat jus præveniendi, antequam actu præveniat, alter jam ante præventionis actum habet obligationem & Jus passivum sustinendi præventionem, si futura sit: sicut enim præcedit Jus activum ex parte unius, ita præcedit Jus passivum ex parte alterius. Sed hoc ipsò Domini plenitudo nequit in actu primo salvari: quia in illo genere Jus activum non est plenum, in quo conjunctum habet Jus passivum. Ergo &c.

325 Resp. & hanc instantiam per priores currere, omniaque argumenta, contra Domini in solidum plenitudinem magnò conamine fabricata, in infelices recidere fabros: nam æquè vel magis opponere licet, quòd dominus nequeat habere plenum Jus activum disponendi de agro, si habeat antecedenter ad actualem dispositionem Jus passivum & obligationem patiendi dispositionem usufructuarii, commodatarii, conductoris &c. si futura sit. Interim negari potest, quòd unus dominus respectu alterius, ante casum præventionis, habeat Jus passivum seu obligationem sustinendi præventionem: tum quia quilibet illorum habet æquale Jus Activum, ab alterius voluntate independens; & Jus passivum, ad quòd idem Jus activum terminatur, non residet penes con-dominos, sed penes extra-

neos: tum quia præventio non ponit novam obligationem in prævento, sed ponit impedimentum extrinsecum, quò minus Jus præventi possit in actu secundo exire: tum quia, si præveniat objecti dividuali natura, ut uterque dominus in actuali exercitio vel dispositione concurrere possit, nihil efficit aut officit præventio, sed uterque pro eodem tempore Jus suum exercere potest: tum quia est merè per accidens, quòd unus alterum præveniat, nec præventio magis in prævento supponit antecedenter obligationem, quam casus alii, v. g. inundatio, tempestas, morbus &c. qui dispositionem actualem impediunt.

Obijcies IV. Non possunt in physicis duos in eodem loco stare vel federe *l. possideri 3. §. 5. ff. de A. vel A. P.* Ergo nec in moralibus possunt esse duo domini pleni seu adequati ejusdem rei. Conseq. prob. idè (naturaliter, saltem) repugnat, duo corpora adequata esse repletiva ejusdem loci: quia ex ipsa ratione adæquationis venit, ita adæquare totum locum, ut alteri corpori nihil relinquatur ad eundem locum adæquandum. Ergo repugnat quoque, duos esse dominos adequatos ejusdem rei: quia ex ipsa ratione adæquationis venit, ita adæquare totam rem, in qua quis habet Dominium, & liberam dispositionem, ut alteri nihil relinquatur in ordine ad Dominium aut liberam dispositionem ejusdem rei.

Resp. hanc paritatem, ex physicis deducendam, valde materiam, & plurimum absurdorum causam esse. Sequeretur enim I. quòd contra *num. 278.* non possint esse duo possessores civiles ejusdem rei, sive sub eodem sive sub diverso respectu; nec possit v. g. Vassallus aut emphyteuta possidere feudum & emphyteusum, cujus possessionem Domino directo negare non possumus: nec enim Dominus & Vassallus in eodem loco simul stare vel federe possunt. Sequeretur II. quòd respectu ejusdem rei nec alia diversi generis jura, Dominium directum & utile, naturale & civile, proprietatis & usufructus concurrere valeant: cum etiam sub diverso respectu duo vel plures in eodem loco stare vel federe nequeant. Sequeretur III. quòd nec quidem pro indiviso plures ejusdem rei Dominium habere possint: cum etiam pro indiviso plures eidem loco insistere vel insidere valeant. Disparitatem proinde ad paritatem tam heteroclitam reddere non est opus; nisi gratis reponere velis, quòd jura incorporalia, quantitatis & loci expertia, non sumant adæquationem à loco vel quantitate, sicut in rebus corporeis accidere solet.

Vellem nunc claudere questionem, intentionem meam longius deductam. Sed redit in memoriam alia paritas, olim in Disputatione Theologica, cujus theorema erat præmotio physica, à me publicè sic proposita. Juxta Thomistam salvatur Dominium libertatis, stante præmotio physica. Ergo etiam sal-